

1453 opprimendam sub nocte pene totidem bellatorum millia, quot ab initio missa erant, Othomanus properare iusserit. Moverunt in hostem navium ductores spei pleni, suum accessum latere rati: quos venientes barbari ad pugnam parati non solum fortiter exceperunt, sed protinus etiam, biremi una Cretensi, cui Zacharias Grio præerat, tormento concussa, reliquas naves circumfissere cæperunt. Compresso igitur impetu territi, qui in navibus erant, subito cesserunt: biremis una, in qua Jacobus Cochus erat, cum duobus aliis navigiis in hostem temere inuenta, adverso bombardæ ictu repente soluta, in conspectu hostium cum tota pene turma fluctibus absorpta est: tres ac triginta, qui in barbari potestatem venere, ante portas urbis nudi constituti, ad unum ferro trucidati sunt. Prociderat interim murus averſa parte urbis circa Sutrinam, quantum pene tres turres continebant. Continuo munitiones tumultuario opere, ut fit, murorum loco hostibus objectæ. Tentavitque interea barbarus cuniculo urbem irrumper: sed his quoque conatibus mature itum est obviam. Multi quoque subterranea fovea subita flamma sunt ambugti. Ad Romani portam turris una concussa ruinam traxerat: atque dextra lavaque crebri tormentorum ictus multum murorum disturbarant, excitaveratque hostis proximo loco aggerem adversus machinas communitum. Et circa Cherſinam portam mœnia late conciderant: quo factum est, ut Othomanus in spem potiundæ urbis adductus, atroci sit eam oppugnatione adortus. Verum ut majorem civitati incuteret terrorem, ante lucem terribili clamore horrendisque vocibus subiit barbarus munitiones. Imperator intus obequitando, suos, ut pro patria, pro liberis, pro sua demum salute, ferociter dimicarent, hortatur: *Venisse tempus, dicere, quo nisi viri essent, non solum nobilissima Byzantii mœnia casura essent, sed omne antiquæ Græciæ nomen cum ipsa gente interiturum: Durarent igitur, scirentque interim cum eo sibi hoste rem esse, a quo non venia ulla, non clementia speranda esset: Cum ipsa patria aut standum esse, aut cum ipsius excidio cadendum.* Hæc ille

mæ-

*Palæologi
fortitudine,
Constanti-
nopolis de-
fenditur.*